

exhibere necesse est, tunc illi cui absolutio negatur, etiam testimonium negandum fore, addita exhortatione ut se recte disponat, ac postea redeat, testimonium una cum absolutione recepturus. „ Quare appetit in mente AA. qui sententiae S. Alph. adhaerent, non haberi obligationem schedulae concedendae nisi talia sint adjuncta ut poenitens nullatenus vitare possit denegatae absolutionis manifestationem.

**391. VII.** Extra confessionem, **cum licentia poenitentis**, potest agi de auditis in confessione, sive cum ipsomet, sive cum quocumque alio, etsi periculorum sit. (Bus. ap. S. Alph. n. 651) Sed haec licentia debet esse :

1º *Formalis et expressa* : nam, si praesumeretur, sigillum periculo exponeretur. Nec sufficit poenitentem teneri ad dandam licentiam, quam neget : siquidem manet semper ratio preecepti.

2º *Libera*, non vi, injurya, dolo vel precibus importunis extorta, vel etiam per metum reverentiale confessarii obtenta : extorta enim licentia invalida est, neque impedit odium sacramenti. Quare raro erit petenda ab iis qui non sponte eam offerunt, numquam repetitis vicibus postulanda.

3º *Non revocata* : nam poenitens pro libito, etiam sine causa, eam semper revocare potest.

Non requiritur tamen ut haec licentia scripto detur, cum id nulla lege statuatur. Perinde etiam est sive ea licentia detur verbo, sive facto, quod quidem aequivaleat expressae concessionis, ex. gr. si poenitens extra confessionem incipiat loqui cum confessario de dictis in confessione. In hoc tamen casu confessarius non debet excedere materiam de qua poenitens verba fecerit.

Adverte hac licentia utendi notitia e confessione hausta, multo ampliorem esse facultatem quam confessario tribuat poenitens, qui res semel dictas in confessione iterum extra confessionem dicat, sive omnia singillatim repeatat, sive brevius dicat : Omnia quae in confessione dixi, extra confessionem sint dicta. Tunc confessarius, praeter notitiam sacramentalem, alteram extra-sacramentalem acquirit, ac proinde talis facultas revocari nequit, neque ii quibuscum ex hac altera notitia loquitur confessarius, lege sigilli tenentur. (Suar. disp. n. 33. sect. 5)

**VIII.** Frangitur sigillum, si cum poenitente extra confessionem, sine ejus venia agas de auditis in confessione, aut ea te scire ostendas.

Intra confessionem vero licet cum poenitente loqui de auditis in praecedentibus ejusdem confessionibus, modo adsit rationabilis causa, puta ad interrogandum de pravis habitibus, de ratione qua poenitens

egerit in proxima occasione, etc. Immo, etiamsi rationabilis causa deesset, non videtur id adversari legi sigilli : cum res agatur in eodem foro sacramentali. (Lugo, disp. 23. n. 127) Censetur autem res agi intra confessionem, etiamsi sermo habetur cum poenitente statim post absolutionem, antequam ille discedat : quia, licet sacramentum sit completum, tamen judicium adhuc moraliter perseverat. (S. Alph. n. 652) Liqueat cavendum esse ne inutiliter sermonem injiciat confessarius de gravibus peccatis olim sibi manifestatis : ingratum enim est poenitenti confessarium hujusmodi culparum memoriam, nulla urgente causa, refricare.

**392. IX.** Indirecte violat sigillum Superior qui scientia, e confessione hausta, utitur **ad externam gubernationem**, ita ut usus ille ingratus sit poenitenti eumque a confessione retardaret si sciret hujusmodi usum esse licitum, ex. gr. ei quasdam facultates negando, eum ab officio vel loco gratiore removendo.

Neque hic usus licitus fit, eo quod poenitens minime advertat Superiorum hac notitia uti. Id patet e decreto quod Clemens VIII 26 Maii 1594 pro Superioribus Regularibus edidit : " Tam Superiores pro tempore existentes quam confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad externam gubernationem utantur. „ Generale autem principium cui multi AA. innitebantur, ut tales usum licere dicerent, saltem quando poenitens non est *rationabiliter* invitatus, puta quando remotio a loco vel officio necessaria est ad peccatum vitandum, proscripsit S. Inqu. (18 Nov. 1682) : " Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa vel indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non-usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione, sive limitatione quod sit intellegenda de usu scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, seclusa quacumque revelatione atque in casu quo multo gravius gravamen ejusdem poenitentis ex non-usu sequeretur. Hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine poenitentis, etiam cum dicta explicatione, praesenti decreto prohibent, etc. „ (Denz. n. 1087) Cur falsum sit praefatum principium optime explicat Lugo (disp. 23. n. 97 seqq.) : " Certum est quod non minus, sed magis gravis redderetur confessio, si confessarius ex illa notitia posset poenitentem laedere in honore, fortunis, muniberis, officiis et aliis ad quae homines maxime afficiuntur, quam si cum poenitente posset de iis loqui : ergo, sicut propter reverentiam et libertatem sacramenti prohibetur loqui cum ipso poenitente, ne difficulter reddatur confessio, multo magis debet propter eamdem rationem prohiberi ne possit occasione confessionis

poenitens in aliis rebus laedi, cum haec laesio magis difficilem redderet confessionem, ut aperte constat. „ Merito autem addit idem Lugo (n. 98) poenitentem, qui antecedenter sciret posse confessarium uti illa notitia occulte contra poenitentem, magis retardatum iri a confessione peccati quam si sciat posse illum tale aliquid facere, advertente ipso poenitente: quia magis laedunt illa quorum causas ignoramus, quam illa quorum causam scimus, quibus facilius possumus adhibere remedium per causam contrariam.

Hinc, tamquam lege sigilli prohibita, vitanda sunt plura quae multi antiquiores DD. licita putarunt: ex notitia confessionis poenitentem cubiculo includere ne exeat ad peccandum, dimittere famulum vel eidem claves auferre ne furetur, abstrahere claves aut pecuniam ab area, claudere fores vel non amplius committere claves famulo; negare communionem poenitenti cui prius negasti absolutionem tamquam indisposito, si ille postea occulte communionem petat; denegare assistantiam matrimonio, cui ex confessione nostri obstare impedimentum dirimens, etc. (S. Alph. n. 657 seqq.) Immo neque intra ipsam confessionem licet punire vel laedere poenitentem propter notitiam e confessione habitam, ut si confessarius juberet famulum suum exire de domo sua ob notitiam furti ab eo commissi: nam, licet haec materialiter intra confessionem fierent, revera essent detrimenta extrinseca confessioni, et quae eam multo difficiliorem redderent. (Lugo, disp. 23. n. 123) Poterit tamen confessarius uti notitia confessionis ad se a quibusdam damnis spirituibus vel temporalibus tuendum, vel ad alias monendos ut ab iis caveant, ex. gr. vitando commercium cum personis a quibus novit poenitentes damna passos esse. Sed summa prudentia in hac re necessaria est: id enim eatenus tantum licet, quatenus vitatur omne gravamen poenitentis vel suspicio peccati accusati. (S. Alph. l. c.)

**393. X.** Sacerdos qui tantum ex confessione sciret sibi parari insidias, posset fugere, si ejus fuga nullam notionem aliis daret peccati accusati, neque ullum gravamen poenitenti inferret, vel si constaret poenitentem has insidias revelasse tantum animo iniquo ligandi illum artissimo secreto, ne auderet fugere ob metum violandi sigilli. Illicita vero foret fuga quando alii ex ea suspicarentur peccatum auditum, vel quando gravamen in poenitentem redundaret.

Ratio deducitur e bono communis totius Ecclesiae, quod postulat neullo in casu liceat revelare confessionem, vel ea uti in gravamen poenitentis. (Lugo, disp. 23. n. 110) Ceterum hic casus et similes metaphysici sunt: siquidem numquam deerit medium haec pericula evadendi, illaeso sigillo, praesertim ex licentia poenitentis.

**XI.** Violat sigillum confessarius qui recusat ire ad audiendam confessionem illius quem, e praecedentibus confessionibus, novit accedere indispositum, ex. gr. quia non vult relinquere occasionem proximam liberam, si e tali recusatione intellegitur, saltem in genere, causa ob quam ire nolit: nam hic usus notitiae sacramentalis in gravamen poenitentis cederet. Poterit tamen statim initio confessionis eum dimittere, reddendo ei rationem dum id sine nota fieri possit. Nullatenus autem sigillum violat qui recusat ire ad audiendum illum quem novit tantum simulare confessionem, ex. gr. ut exterius satisfaciat uxori vel parentibus (n. 381); idem dic de eo qui aliquo praetextu recusationem istam velare potest. (Lugo, disp. 23. n. 117)

### § 3. DE SOLlicitATIONE IN CONFESSiONe.

**394.** Ad avertenda gravissima detimenta a republica christiana, RR. PP. severas Constitutiones edidere contra quosdam sacerdotes ad turpia sollicitantes in iis adjunctis, quae maculam ipsius sacramenti poenitentiae administrationi adspergant. Prima lex, universam Ecclesiam obligans, de hoc argumento lata est a Gregorio XV. (Const. *Universi*, 30 Aug. 1622) Hanc confirmavit et quadamtenus ampliavit Bened. XIV (Const. *Sacramentum Poenitentiae*, 1 Jan. 1741), qua etiam approbavit varia responsa a S. Inqu. de Const. Gregorii XV data et congesta in decreto ejusdem S. Inqu. 11 Febr. 1661. De observatione hujus Constitutionis Benedictinae Instructionem ad episcopos misit eadem S. Inqu. 20 Febr. 1867. (Coll. P. F. n. 948)

Ex his documentis determinanda sunt praesertim tria: 1º Quandonam exsurgat obligatio, his legibus statuta, denuntiandi sacerdotes sollicitantes. — 2º Quaenam sint poenae hanc denuntiationem omittentium. — 3º Quaenam ratio servanda sit in peragenda hac denuntiatione.

Objectum legis ita determinat Gregor. XV (Const. cit.): “ Statuimus, decernimus et declaramus quod omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam... regulares... qui personas, quaecumque illae sint, ad in honesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, sive ante vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis, in confessionario, aut in loco quo cumque, ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint aut cum eis illicitos sermones sive tructatus habuerint, in Officio S. Inquis. severissime, ut infra, puniantur... Mandantes omnibus confessariis ut suos poenitentes quos noverint fuisse

ab aliis, ut supra, sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu, ut praefertur, tractantes, Inquisitoribus seu locorum Ordinariis. „ Ex hoc loco, collata praesertim Const. *Sacramentum Poenitentiae*, sequentia determinari possunt :

**395. ASSERTA. I. Persona denuntianda** est omnis et solus sacerdos “ etiamsi sacerdos sit qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat. „ (Const. *Sacr. Poenit.*)

Imponitur haec obligatio cuilibet personae sollicitatae : quare non refert utrum mas sit an femina, pubes an impubes, etc. Immo, juxta S. Alph. (n. 695), ob speciale edictum S. Inqu. quod refert n. 680, denuntiare jubentur etiam ii qui non fuere sollicitati, sed ab aliis fide dignis audierunt scelus hujusmodi commissum esse. Attamen poenae speciales latae contra omittentes denuntiationem certe non afficiunt nisi eos qui sollicitati fuerint. Neque urget illa obligatio eum, cui illud scelus manifestatum esset tantum ad petendum consilium. (S. Alph. n. 698)

Confessarius sollicitans, ut e legis tenore liquet, non tenetur ad seipsum denuntiandum. Attamen spontanea sui accusatio posset esse utile medium ad praevenendas juridicae denuntiationis sequelas. Nam, ut constat ex Instr. S. Inqu. an. 1867 (n. 13), sacerdotes qui sponte crimen suum fatentur “ dimitti debent cum congrua abjuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, adjecto consilio vel pracepto ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant : nec ceteris poenis antea dictis, accedentibus licet postmodum denuntiationibus, afficiantur. ”

Denuntiatio certe facienda est “ etiamsi sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit. „ (Const. *Sacr. Poenit.*) Notandum tamen denuntiantem numquam posse interrogari de consensu praestito (Instr. S. Inqu. 20 Jul. 1890; Coll. P. F. n. 950), et si forte interrogaretur, posse negare proprium consensum et quidquid inde secutum fuerit. (S. Alph. n. 700)

Insuper, juxta decreta S. Inqu. cit. an. 1661 et an. 1867 (n. 2), denuntiandus est sacerdos qui non sollicitat ipse, sed poenitenti sollicitanti consentit, dilata in aliud tempus turpis consilii executione. Attamen contrarium opinatus est S. Alph. (n. 681), tum quia in hoc casu non stricte verificatur quaedam condicio cit. Constitutionibus requisita, nempe ut poenitens fuerit a confessario sollicitatus, tum quia nimis arduum foret imponere denuntiationem quae moraliter fieri nequeat sine manifestatione propriae criminis. Quare, ob specialem facultatem a S. Poenit. datam sequendi opiniones S. Alphonsi (Vol. I. n. 70), censemus non esse inquietandum qui in casu positio denuntiationem omitteret.

**396. II. Peccatum denuntiandum**, ut e legis tenore patet, est omne et solum peccatum externum contra sextum praceptum, saltem quod ad gravem culpam pertingat. Hinc comprehenduntur non tantum tactus aliaeque actiones turpes, sed colloquia turpia, sive pertineant ad rem quamquam agendam (qui proprie *tractatus* dicuntur), sive ad nullam pravam actionem inducere velit confessarius (qui proprie *sermones* audiunt), ut si poenitentem, quae se de peccato carnali acuseat, interroget num in iis versari placeat, quaenam turpia verba inter peccandum dixerit, etc. (Ball. P. n. 1114) Comprehenditur quoque casus quo confessarius in adjunctis mox explicandis provocat ad turpia “ per scripturam aut tunc aut postea legendam. „ (Const. *Sacr. Poenit.*)

Denuntiandus esset sacerdos qui in iisdem adjunctis proferret verba ex se indifferentia, si postea ex adjunctis appareret ea dicta fuisse ad sollicitandum. Exemplum habes in eo qui peteret a muliere confiteante ubi habitat, et brevi postea ejus domum adiret ad eam sollicitandam, vel qui diceret : “ Exspecta me hodie in domo tua, quia tecum loqui cupio „, et postea domi de dishonestis tractaret. Is enim moraliter sollicitationem vel turpem sermonem in confessione inciperet. (S. Alph. n. 704) Pariter ex adjunctis discernendum utrum denuntiandus sit qui mulierem de ejus pulchritudine laudet vel ei quaedam dicat, teneri sed non necessario turpis amoris indicia, puta : “ Memento mei, quia te ex corde diligo. „ Si enim constaret eumdem sacerdotem, extra omnem confessionis occasionem, turpem amicitiam cum eadem muliere fuisse, haec verba tamquam graviter turpia denuntianda essent; secus, talia levitati et imprudentiae tribui poterunt. Numquam enim confessarius denuntiandus est, nisi de ejus pravo affectu moralis habeatur certitudo. (S. Alph. n. 703)

Ex verbis Gregor. XV, *ad in honesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda*, manifestum fit denuntiandum esse sacerdotem qui, in adjunctis ibidem determinatis, sollicitet ad turpia peragenda non cum ipso confessario, sed cum tertia persona, vel qui roget poenitentem ut tertiam personam ad peccandum cum confessario inducat. Prabilius denuntiandus non est confessarius sollicitans ad actus venialiter tantum in honestos, modo non appareat clare ex adjunctis eum intendisse post hunc levem actum ulterius progredi. Nam confessarius sollicitans denuntiandus est tamquam suspectus de fide : nemo autem censeri potest suspectus de fide quia tantum venialiter peccat. (S. Alph. n. 683)

**397. III. Adjuncta** in quibus hujusmodi peccatum committi debeat ut illa denuntiandi obligatio exsurget, breviter ex cit. Const. Gregor. XV explicabimus :

1º *In actu sacramentalis confessionis*, quae regulariter inchoatur

quando poenitens incipit statum conscientiae sua exponere, ex. gr. recitando *Confiteor*, et cum absolutione sacerdotis finitur. (Ball. P. n. 1094)

2º *Sive antea, vel post immediate*, i. e. quando nulla alia actio interponitur inter confessionem et sollicitationem, ut si sacerdos statim post confessionem dicit poenitenti : "Exspecta me paulisper „, et post intervallum venit et sollicitat. Si autem, antequam sollicitet, de serio negotio cum eadem muliere tractat, videndum est ex circumstantiis utrum probabiliter intenta fuerit sollicitatio et negotium ut medium, an vero negotium principaliter et sollicitatio per accidens : in quo posteriore casu jam deficit obligatio denuntiandi. Probabilius etiam non est denuntiandus qui sollicitavit postquam ipse vel poenitens jam ad alia divertit, ex. gr. si confessarius post ipsum audivit alium poenitentem vel poenitens jam genuflexit in alia ecclesiae parte. (Berardi, de Sollicitatione, n. 63)

3º *Occasione confessionis*, i. e. quando confessarius vel poenitens invitad confitentem veram.

Probabile est ex decr. S. Inqu. an. 1661 (n. 4) non esse denuntiandum sacerdotem qui, extra locum confessionis et absque praetextu confessionis, rogatus a muliere ut, sequenti die, ejus confessionem audiat, eamdeni sollicitat. Immo idem dicendum opinatur Ball. P. (n. 1098) si, in iisdem adjunctis, rogatus est sacerdos ut confessionem statim audiat : quia sollicitatio ita non fit occasione confessionis, sed occasione petitionis confessionis.

Pariter probabile est non esse vi hujus clausulae denuntiandum confessarium qui, ob fragilitatem mulieris ex ejus confessione perspectam, postea domi eam sollicitat. Ita, pluribus AA. allegatis, D'Annib. (III. n. 367. nota II) : quia ille ex confessione notitiam, ex notitia sollicitandi ansam capit. S. Alph. vero (n. 678) cum plerisque aliis censem probabilius illum esse denuntiandum : quia, cum sollicitatio impulsu habeat a confessione, satis verificatur quod, occasione confessionis, fiat sollicitatio. Merito autem rejicit Ball. P. (n. 1098), quod ex Roncaglia affert S. Alph. (l. c.) : denuntiandum esse confessarium qui petat a muliere consensum copulae, promittendo ejus confessionem audire : nulla enim tunc fit vel petitur confessio cuius occasione sollicitatio fiat.

4º *Praetextu confessionis hujusmodi, etiam confessione non secuta* (quae ultima verba etiam ad praecedentem clausulam referuntur). Discriben cum clausula praecedente in hoc est quod sollicitans *occasione confessionis* utitur ad pravum suum finem opportunitate sumpta e vera confessione, dum sollicitans *praetextu confessionis* falso allegat causam confessionis ut verum suum finem, nempe sollicitandi, tegat. Exemplum habes in confessario qui, vel vocatus vel sponte ad domum aegrotantis accedens, verba quaedam de confessione vel rebus conscientiae injiceret

ad removendos adstantes et deinde sollicitaret. De pluribus aliis casibus quos refert S. Alph. (n. 679) dubitari posset, num sub hac clausula cadant ; sed ad proxim parum refert, eo quod fere semper comprehendentur clausula sequente. (Ball. P. n. 1102 seqq.) Immo valde probabili opinantur plures AA. clausulam *occasione vel praetextu confessionis hujusmodi*, additam esse tantum majoris explicationis gratia et ad comprehendendum casum in quo, propter malitiam sacerdotis sollicitare incipientis ante accusationis initium, non sequitur confessio. Quare a lege excludi putant omnes casus in quibus sollicitatio fiat extra actum et locum confessionis. (Berardi, op. cit n. 83 seqq.) Reaperte enim, si verba illa latiore significacione sumantur, non appetat qua probabilitate possit excludi a lege denuntiationis sollicitatio quae fiat postquam jam poenitens vel confessarius ad alias occupationes se divertit, quemadmodum supra cum S. Alph. (n. 677) admisisimus : haec enim in sensu latiore adhuc fierit *occasione confessionis*. Hic tamen actus confessionis non restringitur ad ea quae proprie sacramenti administrationem constituant, sed sensu vulgari, vid. de toto tempore quo poenitens coram confessario genuflexus manet vel quod immediate ante vel post confessionem sacramentalem elabitur et cum ea moraliter unitur.

5º *Sive extra occasionem confessionis... simulantes ibidem confessiones audire*. De hac clausula nota :

a) Verbis *extra occasionem confessionis* significatur minime requiri ut persona sollicitata accesserit ad confessionem peragendam. Parum ergo refert utrum e fine bono an malo venerit, ex. gr. ad consilium petendum, ad confessarium tentandum, etc.

b) Tres loci distinguuntur : confessionarium, quale in ecclesiis ponit solet ; locus alius in quo confessiones audiri solent, ex. gr. sacristia vel cellula in qua alumni alicujus Seminarii confiteri solent ; locus quem confessarius et poenitens ipsi elegerunt ad confessionem peragendam, puta cubiculum aegroti.

c) Verba *simulantes ibidem confessiones audire* interpretanda sunt de exteriori agendi ratione, ob quam spectantes rationabiliter existimant sacerdotem tunc confessionem audire, ex. gr. si ipse sedet in confessionario, poenitens autem coram eo genuflexus manet.

d) Haec eadem verba verius referuntur ad triplicem loci speciem modo indicatam. Ratio desumitur "ex communi ea regula quod clausula ultimo loco posita ad omnia antecedentia conexa referatur." (Buccer. l. c. n. 9) Ideo non esset denuntiandus confessarius qui, in confessionario sedens, ad turpia sollicitaret mulierem ante se stantem vel sedentem : quia haec non est confessio, ne simulata quidem. Discriben tamen aliquod datur inter hos locos : nam in duabus prioribus, ad simulandam confessionem, sufficiet ut sacerdos et poenitens ibi versentur eo modo